



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In  
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

**Lens, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1579**

**VD16 L 1181**

Ad officium Ecclesiasticorum praesulum pertinere, vt principes  
commoneantur, atque intelligant sui muneris esse, vt per eos vnica  
seruetur religio, quibusdam exemplis ostenditur. Cap. XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30005**

sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumē inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vltius discutit, mēdaciū quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Christiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nā iniuriam facit iudicio religiosissimæ synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuolueret & publicè disputare contendit, cum ea quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, ac iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorū patrum 318. 150. definita esse noscuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solum contra fidem bene dispositam veniunt: sed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiusmodi certamine prophanant veneranda mysteria. Et hæctenus quidem dictū sit de studio Catholicorum principum ad Catholicam Romanam religionem suis in regnis conseruandam.

*Ad officium Ecclesiasticorum præsulū pertinere, & principes commoneantur, atq; intelligant sui muneris esse, & per eos & a seruetur religio, quibusdam exemplis ostenditur.*

## CAPVT XII.

**Q**Vam in rem vt incumberent, cū suo zelo incitabatur, tum mouebantur etiam Catholicorum præsulū monitis, quos propius cura rerum Ecclesiasticarum & salutis omnium concernebat. Sic enim vt Ariano

rum cœtus ex vrbibus eliminarentur Amphilo-  
 lochius impetrauit: vt Nestorius eijceretur ex  
 Oriente, propterea q̄ eius adulterina doctri-  
 na multi corrumperētur, Ioannes Antioche-  
 nus Episcopus imperatorem rogauit, vt Euy-  
 ches multaretur exilio, sanctissimus Leo pō-  
 tifex apud imperatorē suis literis & egit ipse,  
 & agendum ostendit. Sanctus Agapitus ponti-  
 fex, vt Anthemius Constantinopolitanus Epi-  
 scopus exulare ob suam hēresim cogeret, a-  
 pud Iustinianū imperatorē effecit. Ille quoq̄  
 vir beatus, & suo tempore clarus abbas, Petr⁹

*Li. 16. a-  
 pud Pau-  
 lum Dia-  
 conum.*

Venerabilis, cum ad Arelatensem & Ebrudu-  
 nensem archiepiscopos scriberet, aduersus hē-  
 resim cuiusdam Petri de Bruis, eiusmodi in-  
 ter cætera adhortationē expressit: Vestrū est,  
 ad quos præcipuē tā ex officio quā ex singu-  
 lari scientia, in partibus illis cura ecclesie Dei  
 spectat, & à locis illis in quibus se latibula in-  
 uenisse gaudet, & prædicatione, & etiam, si ne-  
 cesse fuerit, vi armata per laicos exturbare.  
 Sed quia maiorem operam eos cōuertendi q̄  
 exterminandi adhibere Christianam charita-  
 tem decet, proferatur (inquit) eis autoritas:  
 adhibeatur & ratio: vt si Christiani permane-  
 re volunt, autoritati: si homines, rationi ce-  
 dere compellātur. Certè opera & assiduis mo-  
 nitis D. Bernardi, Petri Abailardi, & Henrici  
 Apostatae hēreses, non modo Ecclesiasticis cē-  
 suris fuere damnatae, verum etiam per secula-  
 res proceres, regniq̄ patres profligatae & op-  
 pressæ. Sed & Beatus Dominicus, à quo, singu-  
 lari Dei prouidentia, Dominicanorum ordo  
 pro-

*Vide epi-  
 stolā 197.  
 cum ali-  
 quot se-  
 quentib.  
 78. 140.*

RELIGIONE.

profluxit, ad Albigensium fœdam sectam eliminandam, Comiti Montfortio & alijs pijs nobilibus magnus fuit incentor & adiutor. Tandemq; fuit ea secta feditiosissimorum hominum Ludouico rege, consilijs pientissimæ matris eius Blanchæ suppressa, Romanacq; religio suæ tranquillitati reddita. Deniq; seculi potestatem ad episcoporum commonitionem, defensionis suæ aduersus hæreticos officium præbere oportere, declarat Lucij tertij decretum, in quo expressum est eiusmodi verbis: Statuimus insuper, vt comites, barones, rectores, & consules ciuitatum & aliorum locorum, iuxta commonitionem episcoporum, præstito corporaliter iuramēto, promittant quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium & posse suum. Si verò id obseruare noluerint, honore quem obtinent spolientur: & ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Ciuitas autem quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum: & Episcopali se nouerit dignitate priuandam. Hoc igitur sacerdotum semper fuit officium, docere quid principes secularesq; Magistratus pro tuenda Ecclesia facere deberent, suiq; huius debiti illos, cum res postularet, commonefacere: ne quid per somnolent-

Cap. Ad  
abolendā

nolentiam eorum Ecclesia caperet detrimentum. Propterea sane Petilianus Donatista, sacerdotibus Catholicos vocauit carnifices, qui fuerunt authores (vt aiebat) imperatoribus, vt in ouiculas innocentes tam grauius saeuirent: quas etiam suis poenis & sanguine eternas caeli diuitias mercari gloriabatur. Nec sum quidem nescius grauius reprehensos esse Idacium & Ithacium Episcopos, quorum factione (vt ait D. Hieronymus) Priscillianus cum alijs aliquot eius affectis, à Maximo tyranno caesus est Treuiris. Qua de re scriptum est à Sulpitio Seuero prolixius. Quin & D. Ambrosius cum eodem tempore apud Treueros legatione fangeretur nomine Imperatoris Valentiniani, separauit sese ab his Episcopis, qui ad necem (ait) quosdam petebant, licet deuos à fide. Sed horum inconsiderato zelo, variè proculdubio peccabatur. Primum, quòd Ecclesiae causam cognosci uellent à secularibus iudicibus. Hoc enim beatus Martinus, qui tum agebat Treueris, nouum & inauditum nephas aiebat esse, vt causam Ecclesiae iudex saeculi iudicaret. Deinde accusationem ipsi suscipiebant in causa sanguinis, necè miserorum in iudicio flagitatione sua postulantes. Id quod à sacerdotibus esse debet alienissimum, quodq; si faciunt, merito irregularitatem incurrunt. Nam si Theodosius Imperator, praeclearam adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit se consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratia, filiorum exprimeretur ad-

*Lib. 2. contra  
tra literas  
Petiliani  
cap. 19. &  
99.*

*In catalo-  
go scripto  
eccles.*

*Epist. 27.  
quae est ad  
Valentinia-  
num impe-  
ratorē, ubi  
sua lega-  
tionis ra-  
tionem ex-  
ponit.*

*Amb. in o-  
ratione fu-  
nebris.*

aduentu : quid pati Episcopus debebit, qui se ad alienum sanguinem fundendum, aut seuerum iudicem, aut accusatorio munere præbuerit inimicum? Hoc enim inter secularem & Ecclesiasticam potestatem interest, quòd illius quidem terribiliter gerèda est administratio, huius clementer (vt August. ait) commendanda est mansuetudo. Ideòque, vt est apud Prosperum in Chronicis. Timasio & Promoto consulibus, Ithacius & Vrsatius Episcopi ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerant, Ecclesiæ communionem priuati sunt. Sed ipsum iam Sulpitium audiamus: Priscillianus (inquit) ne ab episcopis audiretur, ad principem prouocauit, permissumque nostrorum inconstantia. Quia aut sententiam in refrangentem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, alijs episcopis audientiam reseruare, non causam imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes quos causam inuoluerat ad regem deducti: sequuti etiam accusatores Idaicus & Ithacius episcopi. Quorum studium in expugnandis hæreticis nõ reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definitio. Fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eousque processerat, vt omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat

G

certare

Lib. sacræ  
hist.

certare ieiunijs, tanquam Priscilliani socios  
aut discipulos in crimen arcefferet. Ausus et-  
iam miser est, ea tempestate, Martino Episco-  
po, viro plane Apostolis conferendo palam  
obiectare hæresis infamiam. Namque tum  
Martinus apud Treueros constitutus, non  
desinebat increpare Ithacium, vt ab accusa-  
tione desisteret. Maximum orare, vt sangui-  
ne infœlicium abstineret; satis superq; suffi-  
cere, vt episcopali sententia hæretici iudicati  
Ecclesijs pellerentur: nouum esse & inaudi-  
tum nephas vt causam Ecclesiæ iudex seculi  
iudicaret. Præclarè hic Martinus mansuetif-  
simi patris, qualè esse decet Bpiscopum, fun-  
ctus officio est. Quod etiam non neglexit D.  
*Epist. 158.* Augustinus, pro Donatistis subinde suppli-  
cans, vt esset eorum damnatio præter sup-  
plicium mortis: aliàs etiam rescribens, vt eis  
parceretur. Fuitque temporibus illis causa  
peculiaris, quamobrem ita faciendum esse  
Episcopi sanctissimi iudicabant. Nempe vt  
etiam ijs qui foris erant, hoc est gentilibus,  
quorum erat passim adhuc frequens nume-  
rus, commendaretur mansuetudo Ecclesiæ:  
quæ suis inimicis & infestissimis etiam ho-  
stibus, cuiusmodi tum erant circumcellio-  
nes Donatistæ, parceret, tantumque abesset  
vt vindictam reponere velle videretur, vt  
etiam quo parceretur illis, supplicaret. Acce-  
debat, Augustini quidem iudicio, vt ita pu-  
taret esse faciendum, quòd sanctorum pas-  
siones, qui violentis circumcellionum incur-  
sibus aut trucidati, aut mutilati, læsiq; erant  
gravi-

grauiter, nollet inimicorum expetito sanguine obscurari, sed claras omnibus illustres que proponi, quo prodesse exemplis patientiæ. Quapropter in epistola quam ad iudicem Apringium scripsit, hunc alloquitur eiusmodi verbis: Nunquid placet tibi (legenda sunt enim gesta ad sanandas animas, quas pestifera suasionem vulnerarunt) nunquid placet tibi, ut ad finem gestorum, si cruentum istorum supplicium continebit, legendum peruenire timeamus? Vbi ponimus (inquit) & ipsam conscientiam, ne malum pro malo qui passi sunt, reddidisse videantur. Atque in eadem epistola: Si nihil aliud (inquit) constitueretur frenandæ malitiæ perditorum, extrema fortasse necessitas ut tales occiderentur vrgeret. Quanquam, quod ad nos attinet, si nihil ijs mitius fieri posset, malmus eos liberos relaxari, quam passiones fratrum nostrorum, fuso eorum sanguine, vindicari. Nunc verò quâdo aliquid fieri potest, quo & mitis commendetur Ecclesia, & immitium cohibeatur audacia; cur non fletas in partem prouidentiosem, lenioremque sententiam? Quod licet iudicibus seculi facere, etiam non in causa ecclesiæ. Sic igitur illum episcopi, planè suo hoc exemplo demonstrantes, apud seculi iudicem magis Episcopum decere pro reo supplicare ne perimatur, quàm accusatione vrgeri ut occidatur: etiam si ea sit rei causa, ut dignissimū esse morte prouidentiores non dubitent. Nam quis iniustum esse censuisset, interficere circumcelliones



non modò schismaticos insolentissimos, verùm etiam crudelissimos homicidas? Nec de Priscilliano quidem quisquam dubitabit, quin is fuerit extremo supplicio dignissimus, qui obscæna eius libidines & flagitia infanda cogitabit: Gemino enim (vt ait Sulpitius) iudicio conuictus, confessus est se obscænis studuisse doctrinis, nocturnosq; etiam turpium fœminarum egisse conuentus, nudumq; orare solitum. Sed non defuerunt ijs temporibus, qui iniquissimè damnatū conquererentur. Tanta enim in homine fuit hypocrisis, tantæque ad occultandas turpitudines industria (propter quod etiam illud habebat familiare; iura, periuria, secretum prodere noli) vt quamuis esset nequissimus, tamè sanctissimus esse crederetur. Nec alia multo de his qui eum sequebantur, passim gerebatur opinio. Et Ambrosio quidem Mediolanensi, ac Damaso Romanæ vrbis Episcopo frustra conatus est fucò pietatis illudere. Sed si non alijs imposuisset, non Latini Drepanij ad Theodosium in Paneg. hæc verba legerentur: De mortibus virorum loquor? cum descensum recorder ad sanguinè fœminarum, & in sexum cui bella parcunt, non parcè scuitum. Sed nimirum graues suberant inuidiosæq; causæ, vt vnco ad pœnam, clari vatis matrona raperetur? Obijciebatur enim atque etiã exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta diuinitas. Quid hoc maius poterat intendere accusator sacerdos? Fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui  
 nomi-

nomini- bus Antiftites, reuera fatellites atque adeo carnifices, non contenti auitis euoluisse patrimonijs, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum iam pauperum; quin etiam cum iudicijs capitalibus adftitif- sent, pollutas pœnali manus contactu ad sa- cra referebant. Hæc igitur atque eiusmodi cō- miferationem faciunt, atque etiam iniustæ mortis opinionem pariunt ijs hominibus, qui non satis attendunt quanta sæpe doctri- næ pernicies, quæ ad animarum neces omni crudelitate grassatur, piæ velamento commi- serationis obtegatur. D. certè Hieronymus Priscillianum dicit gladio seculi & totius or- bis autoritate fuisse damnatum. At post mortem eius (inquis) magis multo secta inua- luit? Mouet enim & hoc nonnullos, vt saltem nō expedisse dicant illum è medio tolli: Quia (vt ait Sulpitius) Priscilliano occiso, non so- lum non repressa est hæresis, quæ illo authore proruperat, sed confirmata, latiusque propa- gata est. Namq; sectatores eius, qui eum prius vt sanctum honorauerant, postea vt marty- rem colere cœperunt: peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequijs ce- lebrata eorū funera. Quin & iurare per Pri- scillianum summa religio putabatur. Verùm si propterea tolli non expedire censent ab ho- mine non solum fœdissimum libidinum mā- cipium, sed perniciosissimum etiam hæreti- cum, turpitudinisque doctorem: quid de i- pso Dei circa Arium iudicio dicturi sunt? Hunc enim non homo sustulit è medio, sed

inufitato genere mali, profluētibus illi cum excremento vifceribus, diuina cum ad æternas pœnas rapuit manus. Et tamen hanc eius mortem, quam, nifi impius, nemo dicere potest non fuiſſe iuſtiſſimam, aut non prudenter irrogatam, grauiores multo per Arij diſcipulos turbæ ſequutæ ſunt, latiusque hæreſis ſerpsit, ac plures multo quàm antè vitiauit. Verùm hoc quoniam non magni eſt momenti, cito relinquimus. Illud potius videndum eſt quale fit, quod poſterioribus ſeculis frequentius eſt vſurpatum: vt in hæreticos animaduertetur ſupplicio mortis. Nam Imperator Michael Europalates, mitiſſimus appellatus, diuino motus zelo, contra Manichæos capitalem animaduerſionem Nicephori ſanctiſſimi patriarchæ hortatu promulgauit. Quæ res nec tum quidem reprehentione caruit, cum eſſent qui dicerent, non licere ſacerdotibus promulgare contra impios mortem. Sic enim habet hiſtoria. Nec dubium id quidem eſt, quin & iudicium, & accuſatio, & promulgatio ſeu decretum de ſanguine fundendo, procul eſſe debeat à manuſuetudine ſacerdotali. Sed ad eos doctrina & admonitio pertinet ijs de rebus, quæ pro tempore neceſſariæ eſſe videantur ad religionis conſeruationem. Tota ergo præcipuè quæſtio de doctrina eſt, ſitne ea vera & Catholica, qua tradatur, hominem hæreticum ob crimen hæreſeos, cum præfertim profiteatur, & in alios ſuæ doctrinæ ſpargit contagium, iuſtè affici

ſup-

*In Miscel.  
lis.*

supplicio mortis. Quæ si vera est, & si hominem hæreticum occidi iustum est: id deinde videndum erit num expediet, num ut id fiat, aliquando Ecclesiæ postulabit necessitas. Quod si erit, cum ad episcopos pertineat, vnumquemque sui officij commonefacere, iuxta doctrinæ sanæ rationem, profecto nihil erit ab illorum munere alienum, si quandoque principem, etiam gladij sui admoneant, ad exterminandos veræ religionis corruptores; proferentes cum D. Apostolo: *Rom. 13.* Ministros esse illos Dei in eos qui malè agunt, nec sine causa gladium portare. Neque enim cum hoc faciunt, fines excedunt crediti sibi ministerij, quo iubentur docere, monere, arguere. Ideoque non dubitavit Augustinus *Epist. 120.* Olimpium comitem adhortari, ut leges Cæsaris aduersus gentiles & Donatistas euulgaret; potuisset idem profecto & ipsum admonere Cæsarem, ut easdem conderet leges, quibus coerceretur insolètia schismaticorū. Porro de iustitia qua puniatur morte crimè hæreseos, & antè diximus aliquid, & hic modo non pigeat adiungere: qui hæresim ac schisma non putet vltimo supplicio puniri iustè posse, hunc non intelligere satis, quæ horum scelerū magnitudo et grauitas: quanta ad inficiendum pestis: quanta ad Rempublicam funditus euertendā vis existat. Quid enim imprimis concipi animo potest hæresi & schismate grauius? quorum altero fides, qua Deum salutisq; consequendæ rationem cognoscimus: altero charitas, qua Christo

eiusq; corpori, quod est ecclesia, coniūgimur, radicitus ex animis euellitur. Fides iustitiæ ac spiritualis in nobis ædificij fundamentum existit. Hæresis hoc sublatò fundamento, vix inanem pietatis imaginè ac fallacem virtutis simulationem relinquit. Quin & præteritis aliquando seculis, & his nostris infortunatissimis, eousque progressa est, vt furorem pro virtutis zelo, fornicationes sacrilegas & adulteria pro thoris immaculatis & honestis, cædes & latrocinia pro iustissimis animaduersionibus præ se tulerit. Fide religio constat, hæresis eandem corrumpit. Fides Christi in terris familiã continet, eiq; adiungit alienos, hæresis dissoluit eandem, ac dissipat benè coniunctos. Illa virtutes veras parit ac fouet, hæc studia sancta eneruat, vitiorumq; mater existit. In illa humilitas Christiano homine digna conspicitur, qua se in arduis quibusque suscipiendis diuinæ authoritati submittit; in hac intolerabilis superbia cognoscitur credere recusantis quod non intelligit. Fide Catholica incolumi, reliqua si exciderint, facile refarciuntur: hæresis cum fidè subuertat, tanquam sublatis vitæ principijs, nihil aliud quàm salutis desperationem, quàm in ipsa est, facit. Quæ verò pestis aut celerius inficit, aut suo contagio exitium affert alijs præsentius? Nõne hanc ait Apostolus Cancris instar serpere? qui morbos simulatque corporis humani partem aliquam corripuerit, continuò sensim atque occultè in reliquas partes inserpit; atque vbi inualuerit paululum, serò tum medi-

medicinam paraueris. Sic vbi vnumquempi-  
 am hærefis vitiauit, lubrica deinde in alios fa-  
 cilitate prolabitur. An non vnicus homūcio  
 Arius erat? at non vna cum illo ipfius hærefis  
 interijt: non longi enim temporis ſpacio vni-  
 uerſum prope terrarum orbem inuaſit; aulas,  
 tribunalia, florentiſſimas eccleſias, publica &  
 priuata omnia occupauit: velut ſcintilla, cū  
 eam diu materies ſicca fouerit, repentē in ma-  
 ximum totius ædificij incendium exardeſcit.  
 Noſtræ verò cladis nōne perparua in Luthero  
 initia fuere? collucebat in ijs primūm ve-  
 lut exigua quædam erroris ſcintilla, quæ ſi vt  
 conſpecta eſt, mox compreſſa fuiſſet, non has  
 quas videre cogimur, eccleſiæ ruinas videre-  
 mus. Sed cum ille maledicti Cham conceptus

*Au. li. 16  
 de cin. c. 2*

animo calor, ille peſtilentiſſimus hæreſeos i-  
 gnis ſenſim & paucorum in pectoribus alere-  
 tur, & increſcens viciniſſima quæque corripe-  
 ret, continuò ſane etiam ad diſſitos velut  
 ardentes flammæ globos euomuit, con-  
 tinuò ſpargi ignes, miſcerique incendia lon-  
 gè lateq; cœperunt. Nam quoniam eccleſiaſti-  
 cis & Catholicis inſtitutis, difficultas & aſpe-  
 ritas atque amaritudo quædam viſa eſt corru-  
 ptis mentibus permixta eſſe, aduerſa verò mi-  
 ra facilitate, leuitate, voluptate condieban-  
 tur; illis offenſi, his deliniti pleriq; rapieban-  
 tur in præceptis: & bonorum verorumq; ſpecie  
 falſi, mala pro bonis, falſa pro veris, noxia  
 pro ſalutaribus paſſim amplectebantur. Ita-  
 que permulti homines in vitia proni, & qui-  
 bus aures ad noua audienda pruriebant, no-

uitiorū errorū venena sibi à diaboli ministris propinata, auidè celeriterq; susceperūt, suscepta & hausta intimis visceribus cōceperunt, concepta vsq; firmata, tanta nunc inhærescunt tenacitate, vt eximi nec autoritate nec ratione posse videantur. Quā autē sit hæresis turbulenta: quanta quamq; fecunda seditio- num ac dissidiorum parens: q̄ vis in illa infit ad bellorum ciendos motus, ad regna collidēda & perdēda, ad miscēda turbandāq; omnia, q̄s nostrum hoc suo tēpore nō suo dāno, aut certè sine grauissimo animi dolore experitur. Neq; verò hæc nunc primum facit, sed natiuū hoc illius ingenium esse, ex præteritis cognoscitur ætatibus. Quantum enim calamitatis in orbē Christianū inuexerit dogmatis Ariani susceptio, scriptores veteres memorię prodiderunt. Tunc enim nō solum parua res, sed etiā maximę labefactatę sunt. Nec tantum affinitates, cognationes, amicitia, domus, verū etiam vrbes, populi, prouincię, nationes, vniuersum postremò Ramanum imperiū funditus concussum & emotū est. Namq; cum prophana ipsa Arianorū nouitas, velut furia quędā, capto prius omniū imperatore, cūcta deinde palatij culmina nouis legibus subiugasset, nequaquam deinceps destitit vniuersa miscere atq; vexare, priuata & publica, sacra prophanaq; omnia: nullum veri ac boni gerere discrimen, sed quoscunque collibuisse, tanquam de loco superiore percutere. Tunc temerata coniuges, depopulata vidua, prophana virgines, dilacerata monasteria, distur-

*Vincētius  
Lirinēsis.*

batj

bati clerici, verberati Leuitæ, acti in exiliū sa-  
 cerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres,  
 metalla: quorum pars maxima, interdictis vr-  
 bibus protrusi atq; extorres, inter deserta, spe-  
 luncas, feras, saxa: nuditate, fame, siti affecti,  
 contriti & tabefacti sunt. Atque hæc omnia  
 non ob aliud, nisi profectò, dum pro cælesti  
 dogmate, humanæ superstitiones introducū-  
 tur: dum bene fundata antiquitas, scelesti no-  
 uitate subruitur: dum superiorum instituta  
 violantur, dum rescinduntur scita patrum,  
 conuelluntur definita maiorum, dum sese in-  
 tra sacratæ atque incorruptæ vetustatis ca-  
 stissimos limites, prophanæ ac nouellæ curio-  
 sitatis libido non continet. Quid verò de Do-  
 natistarum immanitate multa commemorè-  
 cum enim iam sese non nihil eorum remis-  
 set rabies, atque ab eorum sæuitia in aliquan-  
 tam libertatem populus Christianus respi-  
 rasset, multiq; eorum qui prius illorum parti-  
 bus adhæssissent, ad Catholicam reuerti velle  
 cœpissent, tantis repente sunt odiorum sti-  
 mulis incitati, vt contra eorum infidias aper-  
 tissimaque latrocinia vix vllæ ijs locis Eccle-  
 siæ possent esse securæ: vix vlla via tuta, qua  
 iter agerent, quicumque aduersus eorum ra-  
 biem pacem Catholicam prædicarent, eo-  
 rumque dementiam perspicua veritate con-  
 uincerent: vsque adeo prorsus non modo lai-  
 cis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque  
 Episcopis Catholicis quodâmodo propone-  
 batur dura conditio. Aut enim tacenda erat  
 veritas, aut eorum immanitas perferenda.

Tam

*Aug. ep̄a*

50.



Tam sæpè aliàs eiusmodi fructus nobis hære-  
 sis peperit, vt vbi talia facta non sint, non vo-  
 luntas defuisse, sed facultas abfuisse creden-  
 da sit. Sæuire Donatistæ aliquando se nolle di-  
 cebant, ego verò (inquit Aug.) non potuisse  
 arbitror. Nulla bestia si neminem vulneret,  
 propterea mansueta dicitur, quia dētes & vn-  
 gues non habet. Hoc igitur crimen tantæ im-  
 pietatis plenum, vt ipsius pietatis fundamen-  
 tum radicemque tollat: tam pestilens ac per-  
 niciosum, vt nisi attentissimè quisquam caue-  
 rit, proculq; separetur, in periculum perden-  
 dæ salutis adducatur: Hoc tam inquietum  
 malum, turbulentum, rerumq; mutationis a-  
 uidum, non exilio, non vinculis, non faculta-  
 tum amissione, non omni persecutione, ad-  
 eoque ipsa morte dignum censebimus? Ergo  
 puniuntur isto modo homicidia, adulteria,  
 furta: sola sacrilegia impunita remanebunt?  
 Quid quod facultatibus exuantur, quod sup-  
 plicijs excruciatii summa æquitate necentur,  
 id nos permouebit; quod verò simpliciorum  
 animos mortiferis suasionibus perdiderint,  
 pro nihilo putabimus? Cur indignus videat-  
 ur morte corporis, qui animi grauissimam  
 mortem intulerit? Sed hominum multitudo  
 non in corde cor, sed in oculis habet. Si enim  
 sanguis exit de corpore mortali, continuò  
 quisquis aspicit exhorrescit: si verò à pace  
 Christi præcisæ animæ atque separatæ, in hæ-  
 resis vel schismatis sacrilegio moriūtur, quia  
 non videtur, non plangitur. Imò verò mors  
 tetrior atque funestior, & vt plane dixerim,

*Ca. 17. li. 1.  
 cōtra epi.  
 stolā Par-  
 meniani*

ve

Verior iure consuetudinis deridetur : sic homines sumus, ijs solis, quæ sub sensus cadunt, permouemur. A morte (inquis) ac persecutione dignissimos quidem confiteor, sed hâc inferre cuiquam ob schisma aut hæresim, humanæ potestatis esse, id verò pernego. Quid igitur (inquam) est, quod in epistola ad Romanos Paulus ait? Omnis anima potestatib, sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt: Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, nō enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Cum igitur apertissimè his verbis gentium Apostolus, diuinitus tributam affirmet principibus potestatem supplicium de ijs sumendi qui malè fecerint, tota in eo posita quæstio est, nihilne mali hæreticus aut schismaticus faciat. Nisi autem malum esset, atque id quidem grauissimum schisma facere, non diuinis in litteris legeremus Dathan & Abyron, cum se schismate ab reliquis segregassent terræ hiatu deuoratos; cæterosque omnes qui illis consensissent, igne de medio ipsorum existente, consumptos. Quo quidem tam præsentis horrendoq; supplicio declaratum est, quantis illi vltimis supplicijs reseruentur, quibus,

cum

Cap. 13.

Ibidem.

cum eodem in scelere sint, patiētissimè tamē in hac mortali vita parcitur. Si nihil mali hæreticus faceret, non Hymenæum & Alexandrum, qui circa fidem naufragium fecerāt, Apostolus Sathanæ tradidisset, vt discerent nō blasphemare. Quod si malè ac sceleratè prorsus & hæreticus & schismaticus facit, timeat vterque principis potestatem, non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit. Rectè igitur D. Augustinus, Terrenę potestates (inquit) cum schismaticos persequuntur, ea regula se defendunt, qua dicit Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & ea quæ iā semel retulimus. Rectè & Bernardus pronunciat fatius esse vt gladio coerceantur, illius videlicet qui non sine causa gladiū portat, quā in suum errorem multos traducere permittātur. Ac de iustitiæ quidem ratione satis. Quid autem aliquando opus factō sit, quidq; expediāt, ea prudentiæ subiecta quæstio est. Nā vel pro hæreticorum ingenijs doctrinæq; peruerfitate, vel pro temporum conditionibus maior vel minor adhibenda est coercio. Augustinum quidem ipsum fecit olim experientia hac in causa prudentiorem, cuius & illa sententia est: Cogunt sæpe diuersas inuenire medicinas variorum experimenta morborum.

*Epi. 154.*

*Videre  
est hoc  
Retrac.  
li. 2. ca. 15.*

IN-